



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XV. Qualiter standum sit ac dicendum, in omni re desiderabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XV.

*Qualiter standum sit & dicendum,  
in omni re desiderabili.*

**F**ILI, sic dicas in omni re: Domine, si tibi placitū fuerit, fiat hoc ita. Domine, si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo. Domine, si mihi videris expedire, & vtile esse probaueris; tunc dona mihi hoc vti, ad honorem tuum. Sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer à me tale desiderium. Non enim omne desiderium est à Spiritu sancto, etiam si homini videatur rectum & bonum. Difficile est pro vero iudicare, vtrum spiritus bonus, an alienus te impellat, ad desiderandum hoc vel illud: an etiam ex proprio mouearis spiritu. Multi in fine sunt decepti, qui primò bono spiritu videbantur inducti.

2 Igitur semper cum timore Dei & cordis humilitate, desiderandum est & petendum, quidquid desiderabile menti occurrit: maximeque cum propria resignatione, mihi totum committenden-

mittendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est: fiat hoc vel illud, sicut volueris. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum, sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me, vbi vis, & liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum, gyra & reuerfa me per circuitum. En seruus tuus ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi viuere, sed tibi: vtinam dignè & perfectè.

*Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.*

Sap. 9. 3 **C**ONCEDE mihi benignissime Iesu gratiam tuam, vt mecum sit, & mecum laboret, mecumque in finem vsque perseueret. Da mihi, hoc semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est, & chariùs placet. Tua voluntas, mea sit: & mea voluntas, tuam semper sequatur, & optimè ei concordet. Sit mihi vnum velle & nolle tecum: nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis & nolis.

4 Da mihi omnibus mori, quæ in mundo

mundo sunt: & propter te amare con-  
 temni, & nesciri in hoc sæculo. Da  
 mihi super omnia desiderata in te re-  
 quiescere, & cor meum in te pacifica-  
 re. Tu vera pax cordis, tu sola requies:  
 extra te, dura sunt omnia & inquieta.  
 In hac pace, in idipsum: hoc est, in te *Psal. 4.*  
 vno summo æterno bono, dormiam  
 & requiescam. Amen.

## C A P. XVI.

*Quòd verum solatium, in solo Deo  
 est querendum.*

**Q**UID QUID desiderare possum,  
 vel cogitare ad solatium meum,  
 non hinc exspecto, sed in posterum.  
 Quòd si omnia solatia mundi solus *Mat. 16*  
 haberem, & omnibus delitiis frui pos-  
 sem: certum est, quòd diu durare  
 non possent. Vnde non poteris ani- *Ps. 76.*  
 ma mea plenè consolari, nec perfe-  
 ctè recreari: nisi in Deo consolato-  
 re pauperum, ac susceptore humi-  
 lium. Expecta modicum anima mea,  
 expecta diuinum promissum, & ha-  
 bebis abundantiam omnium bono-  
 rum in celo. Si nimis inordinatè  
 ista